

22

DISPUTATIO ACADEMICA  
DE  
AQUIS SUPRACOE-  
LESTIBUS,  
An istæ dentur?

Quam  
Deo Ter Opt. Tq; Max. dirigente,  
Consensu



Amplissimi Senatus

Philosophici

in perantiquâ ad Geræ fluentia Academia  
PRÆSIDE

M. HENNINGO *Zolckmar* /  
è Saxonibus Goslariensi,  
publicæ disquisitioni submittet

GEORGIUS GOTHOFREDUS *Eilmar* /

Mulhus. Thuring. SS. Theol. Studiosus,  
Addiem 7. Septembr.

*In Auditorio Philosophorum*  
Horis ab 8. matutinis.

ERFFURTI, LITERIS CHRISTOPHORI KÜCHEMII,  
Anno clc lxc LIX.

Meteorol.

330,75

DISPUTATIO ACADEMICA

DE

AGGREGATIONE

LESTIBUS

AGGREGATIONIS

DE

AGGREGATIONE

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS

AGGREGATIONIS





## EISOΔION.

**S**ollicito mihi de materiâ Exercitiî Publici, nescio quo casu, sese obtulêre *aqua supracælestes*, de quibus adhuc inter multos haud de fece viros contentionis serra reciprocatur. Nos, salvo tamen aliorum iudicio, hac vice, hanc provinciam cum DEO, sumus suscepturi, ut ostendamus, aquas supra cælestes neque ex *Natura*, neque ex *Scriptura* libro probari posse. *Negativa enim opinio*, inquit Plur. Rev. DN. D. JOHANN. MUSÆUS, Præceptor meus ætatem colendus Dispp. Theol. part. 1. Disp. 5. p. 146. §. 30. *propterea preferenda videtur, quod absq; omni verborum detorsione & historie creationis, & ordini nature per omnia congruit.* Nos igitur istam amplectemur, eandemq; sine ambage, non tamen sine ordine, pertractare conabimur. Cum enim, teste Xenophonte in *Oecon.* ἔστιν ἄδεν ἄτως ἢ εὐχρηστὸν, ἄτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις, *nihil tam amabile atq; utile hominibus quàm ordo*, ne in periculosos confusionis, quæ falsi improvida mater esse solet, abripiamur mæandros, non possumus, quin certos limites, quos transilire religio erit, huic materiæ constituamus. Esto hic ordo. Sint tria Membra: quorum *Primum* aquarum supracælestium ex libro *Naturæ* inficiationē; *Secundum* contra sentientium, ar-

gumenta ex libro scripturæ pro statuminandis aquis  
supracælestibus deprompta; *Tertium* eorundem solu-  
tionem & Responſionem contineat. Esto proinde, DEO  
annuente,

## MEMBRUM I.

### §. 1.



Romissi memores Methodum in præ-  
ludio adductam retinebimus. Quod igitur  
ex *numine illo sublunari*, ceu subtilitatis Phœ-  
nix, divinus *Scaliger in Exerc. 6. Sect. 1.* lo-  
quitur, seu *libro Nature* aquæ supracælestes  
probari & asseri nequeant, ex subsequentibus  
non sine facilitate erit colligere.

§. 2. Attende. Levitatem & Gravitatem elementis ut  
subjectis primis: reliquis verò corporibus, putà mixtis, inesse  
propter prædominans aliquod Elementum, quivis, qui vel mi-  
cram sanæ mentis habet, fateri tenetur.

§. 3. His itaq; suppositis, tanquam præcognitis ac con-  
cessis, ad naturam Levitatis & Gravitatis, quippe quæ multum  
lucis præsentis negotio adfert, accessum facimus. Est autem  
*Leve*, quod naturâ aptum est moveri sursum; *Grave*, quod na-  
turâ aptum est moveri deorsum.

§. 4. Hic singula verba singulas requirunt explanatio-  
nes. Dicitur I. *Quod aptum est*: Ubi observatur, Levita-  
tem & Gravitatem accipi posse bifariam: 1. *Secundum se pro*  
*actu primo*. Et hæc acceptio locum hîc invenit. Primam enim  
potentia respicienda est, non actus. Et quamvis actus non sub-  
sequatur, aut aliunde prohibeatur, tamen natura istarum qua-  
litarum manet. Exemplo sit Risibilitas in homine, quæ de-  
notat Aptitudinem ridendi, sive homo actu rideat, sive non.  
Consimiliter corpus grave habet aptitudinem ut deorsum fera-  
tur, sive actus subsequatur, sive non; eadem ratione corpus lé-  
ve habet aptitudinem ut sursum feratur, sive actus subsequa-

tur,

tur, sive non. 2. *pro actu secundo*. Et hic, veluti dictum, non  
semper requiritur. Elementa enim, quando in propriis locis  
sunt constituta, neque gravitant neque levitant, h. e. non mo-  
vent se per gravitatem aut levitatem, siquidem ibi quiescunt:  
hoc tamen non obstante gravia & levia sunt quoad actum pri-  
mum. Dicitur II. *Moveri sursum, & Moveri deorsum*.  
Quid sit sursum & deorsum moveri, omnium optimè declarat  
*Philosophus*, qui l. 4. de celo t. 4. *Quaedam, inquit, à medio sem-  
per, quedam ad medium semper apta sunt ferri. Horum autem id  
quidem, quod à medio fertur, sursum; id autem quod ad medium  
fertur, deorsum dicimus ferri*. Bellè. Sursum moveri est à me-  
dio; Deorsum moveri est ad medium ferri. Per *Medium* ve-  
rò hinc intelligitur tum medium mundi, quod est Terra (Glo-  
bus terraqueus,) quæ in medio mundi est constituta, & propte-  
rea *Centrum mundi* appellitari consuevit; tum medium terræ,  
quod *Centrum terræ* in scholis nominari assolet. Utrumq; me-  
dium hinc indigitatur. Exempla habet *Excell. Zeisoldus*, Phys.  
in celeberrimâ Salana Prof. Publ. Honorarius undiquaq; ce-  
lebratissimus, Hospes hætenus ac Præceptor omni elogio ma-  
jor, l. 2. *Inst. Phys.* p. 167. quæ vide. Sensus igitur est, levia à ter-  
rà (terræ medio) superius versùs cælum: gravia verò à supero  
tendere ad terram (terræ medium.) Dicitur III. *Natura*.  
Hoc vocabulum additur 1. *propter miraculosas Stationes*. Sic pro-  
hibitione supernaturali fiebat, ut ferrum per aquas deorsum  
non ferretur, sed iisdem innataret, 2. *Reg. 6. c. 6*. Nemo  
tamen, nisi vesanæ mentis qui est, facilè dixerit, ferrum natura-  
liter sive naturâ suâ non fuisse aptum, ut descendere vel deor-  
sum ferri potuisset. 2. *propter motus violentos*. Cum autem vio-  
lencia nihil præjudicet Naturæ, nec eam tollat aut immutet,  
itaq; licèt aliquod corpus grave ab externo aliquo principio  
impellatur, ut ascendat aut sursum feratur, illud tamen non  
fit secundum sed contra istius corporis naturam. Exemplo sit  
lapis in altum projectus. 3. *propter motus imperatos*. Hanc  
rem explicatam & declaratam tibi poterit suppeditare san-  
guis, qui licèt sit corpus grave, tamen ex imperio animæ ex

vasis, in quibus genitus fuit, partim sursum, partim deorsum pro ratione & varietate partium corporis nutriendarum fertur. Ast hoc nihil impedit, quò minus sanguis naturâ suâ deorsum ferri aptus sit, intellige, si sibi relictus, & superiori potestati subiectus non est,

§. 5. Proprius ad metam. Corpus quò levius est, eò sublimiorem; quò gravius, eò inferiorem & depressiorem in Naturâ locum occupat. Cùm itaq; Ignis inter Elementa sit corpus levissimum, super euncta est positus, supremumq; inter omnia obtinet locum. Ignem subsequitur aer, Elementum leve. Aerem comitantur Aqua & Terra, corpora gravia: hæc quidem corpus gravissimum, illa grave. Consimilia hisce habet Ovidius l. 15. Metamorph. ubi ita canit:

*Quatuor æternus genitalia corpora mundus  
Continet, ex illis duo sunt onerosa, suaq;  
Pondere in inferius, tellus atq; unda feruntur.  
Et totidem gravitate carent, nullog; prementq;  
Alta petunt, aer atq; aere purior ignis.*

Item l. 15. Fastorum:

*Altum flamma petit, propior locus æra cepit:  
Sederunt medio terra fretumq; loco*

§. 6. Verba huic rei lucem fœnerantia cui legere lubido, adeat Eruditissimum Arniseum Epit. phys. p. 246. ita agentem: In 2. de cal. t. 19. ait philosophus, perfectionem Universi exigere, ut dato uno contrariorum, seu posita una differentia, altera quoq; ponatur. Jam constat ex doctrinâ de celo, calum esse circulare; circulare autem presupponit centrum, æ centrum est intimus locus intra Orbem; intimus locus opponitur supremo. Ergo ubi intimus locus datur, dandus etiam erit supremus. Infimum autem & supremum includunt loca intermedia, quæ partim sunt sursum, partim deorsum, eaq; duo esse oportet, prout inter duo extrema intermedian. Ideoq; quatuor sunt corpora in istis locorum diversitatibus esse nata, Terra in infimo, ignis in supremo loco, in intermediis Aer & Aqua. Hucusq; Arniseus. Si plura hæc de re sitis, consulas velim Philosophum l. 3. de cal. t. 42. l. 4. de cal. c. 4. s. 35. & seq. l.

seq. l. 2. de. cal. t. 72. Confer item P. Hurt. de. Mendoza  
Disp. 2. de cal. propr. sect. 5. tot. p. 521. seq.

§. 7. Hinc clausis vel in totum oculis Homericis li-  
quere autumamus, aquas supra æthera seu cælum æthereum  
naturaliter non posse existere. Patet, quandoquidem aqua est  
corpus grave, quam supra ignem & aerem, corpora levia, imò  
supra ipsum cælum æthereum, corpus tenuissimum, subtilissi-  
mum & simplicissimum, naturaliter posse existere, nemo faci-  
lè sibi imaginabitur.

§. 8. Atq; sic ex hætenus dictis sponte elucet, nihil mi-  
nus, quam aquas illas supracælestes, quas quidam statuere  
haud verentur, ex libro Naturæ posse probari. Ad librum  
Scripturæ.

## MEMBRUM II.

§. 1. Patet igitur ex libro Naturæ ne verbum quidem  
pro asserendis & adstruendis aquis supracælestibus posse extor-  
queri, unicè istas in scripturæ libro fundatas esse alii sibi peni-  
tè persuasum habent, ex eoq; nostræ sententiæ alapas parare  
ad laborant; quo successu, illicò apparebit.

§. 2. Mundum non in momento, sed successivè & per  
certa temporis intervalla, sex videlicet dierum spatio, à DEO es-  
se conditum, norunt ii, qui Fontium Sacrorum gnari sunt.  
Cum autem singula singulorum dierum opera ventilare ac  
trutinare instituti nostri ratio non permittat, ea duntaxat, quæ  
ad præsens facere videbuntur, iudicii lance expendemus.

§. 3. Missis itaq; reliquorum dierum operibus, appre-  
hendimus in præsentiarum secundæ diei opus, quod est *רָקִיעַ*  
*Expansum*, quod dicitur esse in medio aquarum, quo aquæ su-  
periores ab inferioribus fuerunt divisæ, Gen. 1. v. 6. 7. 8. Ubi  
maximè enodandum ac evolvendum erit, quid per vocabulum  
*רָקִיעַ* utpote in quo totius fermè controversiæ cardo vertitur,  
intelligatur. Hic videre licet sententiarum, in quæ abeunt  
Autores, divortia.

§. 4. Possunt tamen hi Autores discrepantes commode  
in qua-

in quatuor classes redigi. I. est eorum, qui per *Expansum* intellectum volunt coelum sidereum. Hujus sententiæ patroni sunt Beda, Lombardus & nostratum Theologorum pleriq; . II. eorū, qui *Expansum* explicant ò de solo cælo sidereo, sed simul de sidereo & aëreo. Hanc sententiã qui fovent, contendunt, per  $\Psi\Omega\Upsilon$  intelligendam venire aggregationem omnium corporum, quæ interjacent inter aquas terrestres & cælestes, quæ aggregatio includat omnes coelos, ignem & aërem. Utriusq; sententiæ propugnatores per *Aquas superiores* intelligunt Aquas supra coelum sidereum constitutas, quas *supracælestes* nominare ipsis volupe est. Hi tamen Autores iterum in diversas abeunt partes; quidam enim istas aquas congelatas sive glaciales esse coniecturant, i. e. instar glaciei aut cryllalli consolidatas, quæ constituent illud ipsum coelum aqueum & cryllalinum, quod ordine nonum esse contendunt; quidam verò illas aquas fluidas esse ajunt. III. est eorum, qui dubitationis alã circumsepti ac circumvallati sunt, anne per *Expansum* intelligendum sit coelum sidereum: quos inter est Thomas. IV. eorum, qui per *Expansum* h. l. *solum aërem* intelligunt. Quam sententiam jam suo tempore quendam in medium adduxisse testis est *Augustinus*, cujus diligentiam & considerationem laude dignissimam B. Pater judicat. Eandem sententiam amplectuntur *Pererius*, *Greg. de Valentia*, *Esthivus*, & alii, qui per *aquas superiores* non intelligunt *aquas*, quas vocant *supracælestes*, sed *nubes*, quæ è superiori *expansi* h. e. *aëris* parte imminent.

S. 4. Et hæ sunt celebriores de *Expanso* sententiæ, quarum postrema nobis ad salutem est, & quidem obsequentes rationes. 1. quia coelum æthereum, nondum tamen stellis ornatum, jam primã die fuit productum. E. illud hîc loci per *Expansum*, quippe quod secundã die demum productum fuit, non potest intelligi. Aliud proinde *Expansum*, quod sit in medio aquatum, h. l. innuitur: tale autem nullum aliud potest denominari, quàm *calum aëreum*. 2. quia *aëri* commodè conveniunt, quæ hic in *Gen.* dicuntur de hoc *Expanso*. Nam 1. *Aër* rectè dicitur  $\Psi\Omega\Upsilon$  *Expansum*, à Radice  $\Psi\Omega\Upsilon$  *Expandit, Extendit, Distendit, Diduxit*: quandoquidem

dem



dem aër revera est expansum quid a terrâ usq; ad concavum  
 Lunæ. II. Expansû hoc vocatur  $\text{קַיִן}$  *Calum*. Nunc autem ex  
 multis scripturæ Dictis manifestum est, vocabulum *celi* non  
 solum *æthereæ*, sed frequenter etiam *ærea regioni* tribui. Ex  
 multis, quæ adduci possunt, locis videatur *Gen. 7. v. 11.* ubi  
*cataracta cæli* dicuntur *aperta*; & *c. 8. v. 2. clausa cataracta cæli*,  
 & prohibita pluviae *de cælo* descendentes. Nemo autem, nisi  
 cui mens est amens, facile garriet, de cælo *æthereo* pluvias  
 descendere. Restat igitur, ut dicamus, per *cælum* in adductis  
 locis indigari non *Æthereum*, sed *æreum*, in quo nubes exi-  
 stunt. Similiter *Deut. 4. v. 17.* aves volare dicuntur  $\text{בְּשָׁמַיִם}$  *in*  
*caelis*; per *cælos* hîc intelligitur nihil aliud, quàm *aër*: cum  
 aves non in æthere, sed in aëre volitent. Eodem modo aves  
 audiunt volatilia  $\text{בְּשָׁמַיִם}$  *celi* h. e. aëris, *Gen. 1. v. 26.* III, qui  
 aquæ, quæ vulgò vocantur *supracælestes*, ordini Naturæ non  
 congruunt, ut ex *Membro 1.* innotescit. Stat immotum effa-  
 tum: Aquæ istæ aut sunt supra cælum æthereum  $\text{Φυσικῶς}$  aut  
 $\text{ἀντιφυσικῶς}$ , aut  $\text{ὑπερφυσικῶς}$ . Non  $\text{Φυσικῶς}$ , veluti o-  
 stensum, Nec  $\text{ἀντιφυσικῶς}$ , siquidem hoc esset contra Dei  
 institutum & voluntatem; quod enim contra naturam est,  
 contra Conditoris institutum & voluntatem est; natura enim  
 ordo est a liberrimâ & sapientissimâ Dei constitutione. Nec  
 etiam  $\text{ὑπερφυσικῶς}$ , siquidem hoc modo aquæ supra cælum  
 essent miraculosè: quæ enim supra naturam sunt aut fiunt,  
 miraculosè se habent. Quis verò concedet, aquas supracæle-  
 stes miraculosè ibi esse repositas? Si enim divisio illa aqua-  
 rum eo, quo putatur, modo facta est, divisio illa ordinem &  
 constitutionem mundi attinebit. Jam verò repugnat aqua-  
 rum illarum supra firmamentum collocationem ordini a Deo  
 instituto congruere, & aquarum istarum in istum locum repo-  
 sitionem esse supra naturalem.

§. 5. Dicis: Factum id est vi verbi divini.  $\text{¶}$  Nulla  
 est sequela: E. aquæ quædam supernaturaliter supra cælum  
 sunt collocatæ; nam cuncta ordinata sunt vi verbi divini, &  
 tamen

B

tamen

tamen cuncta demonstrant ordinem naturæ, qui rebus ipsis congruus est. Sic vi verbi divini terra inferiùs est collocata, non tamen ὑπερφυσικῶς terra inferiùs subsistit. Essent igitur istæ aquæ supra cælum in loco violento non naturali. Huc accedit, quod istarum aquarum nullus appareat finis, cui bono aquæ sint supra Cælum.

§. 6. Tandem ad argumenta eorum, qui aquas supra Cælum æthereum dari contra nos asserunt. Primum argumentum est; *Quicquid non potest asseri de aëre, istius appellatio aëri non competit. Firmamentum esse non potest asseri de aëre; E. firmamenti appellatio non competit aëri.* Major in aprico est. Minor etiam constat, siquidem aër est Corpus tenue, fluxum, instabile & facile cedens. Ultrò itaq; largiendum est, per firmamentum in c. 1. Gen. nō intelligi aëreum sed illud Cælum, in quo constituta sunt luminaria, nempe sidereum.

§. 7. Argumentum secundum: *In quo die quarto posita dicuntur luminaria, illud non est aër, utpote in quo nulla sunt luminaria, seu Cælum æthereum. Atqui in expanso quarto die posita dicuntur luminaria, ut innotescit ex v. 14. & 15. ejusdem cap. E. Expansum illud non est aër & consequenter Aquæ, quæ dicuntur esse supra expansum, erunt supra istud expansum, in quo luminaria posita sunt, nempe supra Cælum sidereum.*

§. 8. Argumentum tertium: *Aquæ superiores dicuntur supra expansum constitutæ. Sed nubes non sunt supra aërem, sed in ejus regione mediâ constitutæ. E. nec expansum illud de aëre; nec aquæ superiores de nubibus exponi possunt.*

§. 9. Arg. quartum: *Cujuscunq; superiora nubibus non sunt tecta, illud per Cælum hic non potest intelligi, Atqui aëris superiora nubibus non sunt tecta; E. aër per Cælum hic non potest intelligi.* Major probatur ex ψ. 104. v. 3. Minor constat; siquidem infima & quodammodo mediâ aëris regio nubibus est tecta, minimè suprema.

§. 10. Arg. quintum: *Quicquid est supra Cælum Cælorum, illud non potest dici esse supra aërem. Atqui aquæ sunt supra Cælum*

*Cælum Cælorum. E. non possunt dici esse supra aërem. Major radiis solis exposita est, siquidem nemo aërem, nisi cui fungus pro cerebro est, Cælum Cœlorum salutare audebit. Minor probatur ex  $\psi$ . 148. v. 4. ubi hæc leguntur verba: *Laudate eum Cali Cælorum, & aqua, quæ super Celos sunt.* Aliud igitur Cælum nempe sidereum intelligendum veniet, supra quod sint aquæ, quæ vocantur supracælestes.*

§. II. Arg. sextum potest desumi ex *Cantico trium phorum* v. 11. ubi eodem modo de *aquis supra Cælum positis* dicitur, quod Deum laudare debeant.

§. 12. Arg. septimum: *Inter quæcumq; intercedit discrimen, eorum unum non potest per alterum intelligi. Atqui inter nubes & aquas magnum intercedit discrimen. E. nubes per aquas non possunt explicari.*

§. 13. Arg. octavum: *Quæcumq; explicatio novitatem sapit, illa non ita defendenda est. Atqui explicatio aquarum supra Celos per nubes novitatem sapit. E. non ita defendenda est.*

## MEMBRUM III.

§. I. Restat, ut ordine ad singula contra nos in medium allata argumenta respondeamus. Argumentum ergo *primum* quod attinet R. I. vocabulum  $\text{פְּקִיָּר}$  rectius verti per *Expansum*, quàm per *Firmamentum*. Hoc si animadvertissent viri docti, nulli dubitamus, quin huic nostræ sententiæ calculum adjecissent. 2. Falsum est, *Firmamenti* vocabulum de aëre non posse dici: ipse enim *Thomas* concedit, aërem posse vocari *firmamentum*, quatenus in eo condensantur nubes; alii autem propterea firmamentum dici posse ajunt, non quod corpus solidum sit, sed quod stabile & perpetuum interstitium sit inter ea, quæ dividit.

§. 2. Ad *secundum* R. 1. posse concedi totum si rectè intelligatur. Negamus autem tunc, supra *Expansum* esse aquas. 2. si verò Minor intelligitur de *Expanso* secundâ die producto,

producto, eam negamus. Ut proinde omninò tenendum sit, duplex dari *Expansum*: *Unum*, quòd est in medio aquarum, & fuit secundà; *alterum*, in quò collocata sunt luminaria, & fuit prima die productum. Prius est *aër*; posterius est *Cælum sidereum*. Nulla autem necessitas flagitat, ut per *Expansum*, cujus h. l. fit mentio, intelligamus idem expansum, in quo Deus postea posuit luminaria. Contextus itaq; est conspiciendus, quando per *Expansum aër*, quando *Cælum sidereum* sit intelligendum. Quòd per *רָקִיעַ* seu *expansum v. 6.* aër debeat intelligi, patet 1. quia vocatur expansum in medio aquarum quòd dividat aquas superiores ab inferiorib; tale autem expansum non est Cælum æthereum, quippe quòd non attingit aquas inferiores. Illud autem *dividere unam rem ab alia*, quòd est in utriusq; consinio, ipse fatetur *Mendoza*. 2. Quia *רָקִיעַ* Emphaticum, quòd v. 7. & 8. toties voci *רָקִיעַ* præfigitur, satis indicii est, quale *Expansum* hic intelligi debeat, nimirum non omne, sed illud, quòd in medio aquarum. E contra-rio verò aliud *Expansum v. 14. & 15.* esse intelligendum, nempe *Cælum æthereum*, res ipsa exigit, & quidem. 1. quia stellæ in eo dicuntur esse, quòd de aère dici nequit. 2. quia hoc *expansum* non est in medio aquarum. E. non potest esse idem cum *expanso*, cujus mentio sit v. 6.

S. 3. Ad tertium R. 1. neg. antecedens. Et hoc declaramus verbis Plur Rev. Dn. D. *Job. Musei c. l. S. 35.* ubi inquit: *secundum literam cripturæ igitur מַיִם אֲשֶׁר מֵעַל הַרְקִיעַ* sunt aqua, quæ ad alteras comparate, sunt de super i. e. quæ è superiori expansi parte, imminent Germ.: Die von oben am Himmel / vel ut B. Lutherus reddit an der Feste seyn & opponuntur aquis, מַיִם אֲשֶׁר מֵתַחַת הַרְקִיעַ quæ ab infra sunt expansi respectu, i. e. quæ inferiori spacio infra expansum continentur, & terram ambiunt: Germanicè die von unten auff der Erden seyn unter der Feste. Hoc autem optimè convenit nubibus, quæ non sunt infra expansum, vel in infimis ejus partibus constitutæ, sed de-  
super

super von oben an der Feste oder am Himmel/ seu in superiori  
aëris parte, nempe in regione mediâ. 2. posito, dici aquas supra  
expansum esse, rectè tamen nubes possent dici esse supra aërem,  
i. e. supra illam aëris partem, quæ vulgo est notissima, & quam  
vulgus aërem appellitare consuevit, i. e. supra infimam aëris  
regionem, in qua volucres volitant, & quam fumi vaporesq;  
pertranscunt.

§. 4. Ad quartum R. In Hebraico textu non legi: *Qui  
regis aquis superiora ejus; sed: Qui contignas seu contabulas aquis  
superiora ejus;* Metaphora à tignorum conjunctione, desum-  
ta, & allusione facta ad nubes, quæ tanquam tigni serie conti-  
guâ in superioribus aëris media sc. ejus regione, constitutæ  
sunt. Et hunc esse sensum patet 1. quia in eodem versu *Psal-  
tes Regius* ipse explicat quid per has aquas velit intellectum,  
nempe nubes, quando ait: *Qui ponis nubem vehiculum tu-  
um.* 2. Quia montes rigari dicuntur de superioribus Cœli,  
v. 13. E. per superiora Cœli h. l. non intelliguntur superiora Cœli  
siderei, siquidem ex istis nulla montium irrigatio expectanda:  
Sed superiora Cœli aërei, nempe media ejus regio, exquâ pluvias  
terram irrigantes descendere, nemini non notum est.

§. 5. Ad Quintum R. 1. Posito quod per *Cælum Cælo-  
rum* hic intelligatur *Cælum sidereum*, de quo tamen litem sibi  
invicem movent Interpretes: non tamen sequitur, per Cælum,  
cujus in posteriori versus parte mentio injicitur, Cælum Cœ-  
lorum esse intelligendum. Nam in priori versiculi parte di-  
citur *Cælum Cælorum*; in posteriori simpliciter *Cælum*: Ubi  
nihil obstat, quo minus per Cælum aër possit intelligi. 2.  
non dicitur: aquæ, quæ sunt super Cœlos, sed aquæ *מַיִם* quæ  
de super die von oben an Himmel seyn. De qua phrasi vid §. 3.  
hujus membri; sensus est: Aquæ nubium debent esse præco-  
nes sapientiæ & omnipotentia divina; vel: Aquæ destillan-  
tes è nubibus laudent Deum.

§. 6. Ad sextum R. 1. Canticum illud non esse in Ca-

none. 2. Eadem posse huc afferri, quæ §. præced. & 3. fuere  
proposita.

§. 7. *Ad septimum. R.* Ex mente quorundam Adversa-  
riorum non ita ingens discrimen est inter nubem & aquam,  
ut nubes nullatenus dici possit aqua. *Nubes enim, inquit  
non nemo, nihil aliud est, quam atomorum aquearum congeries.  
Item : Nubes fecunda crassior est, multumq; humoris continet,  
eag; dat pluviam, quia vapor ejus crassior est : in crassiore enim  
vapore plus aqua est.* Hæc si veritati consona sunt, quid vetat,  
quo minus scriptura sacra quæ alias de rebus naturalibus  
non adèò accuratè solet loqui ut physici, rectè possit nubem  
vocare aquam, sicuti sæpiusculè istam vocat.

§. 8. *Ad octavum R.* 1. posito eam esse novam; quid  
tum? Non statim, quod novum, rejiciendum: sicut non  
statim omne quod vetus est, recipiendum. *Nuda enim anti-  
quitas, inquit Spengl. Exerc. Metaph. 5. Art. 2. Can. 8. genuinis  
& germanis suis requisitis destituta, rei alicui præstantiam ac boni-  
tatem conciliare nescit. Non omnia antiqua vera, nec omnia  
nova falsa sunt proclamanda.* 2. Negamus eam esse novam.  
Nam ut ex membro 2. §. 4. patescit, jamdum tempore *Augustini*  
aliquis istã explicat onẽ protulit, cujus diligentiam ipse *Augustinus*  
laudibus affecit. Taceo alios, qui dudum in nostram senten-  
tiam inclinasse videntur. Satis! Limatioris judicii qui sunt,  
dent limatiora!

## SOLI DEO GLORIA!

---

### CORONIDES,

**P**roprium quarti modi ò rectè definitur, quod  
sit id, quod competit *Omni, soli & semper.*

Definitio est definitum.

Nulla Enunciatio falsa est vera.

Omnis Enunciatio falsa est vera Enunciatio.

Analogia

Analoga non sunt medium inter Univoca & æquivoca.

In hac propositione: *Homō non est lapis*, strictè loquendo, non est prædicatum.

Astra non agunt in voluntatem Hominis.

Frustra conatur *Jul. Papius* ex Lumine Naturæ, & quidem ex hoc canone: *Frustra est potentia, que non traducitur in actum*; Resurrectionem mortuorum probare.

---

**H**Aspartes, *Eilmare*, mei pars altera cordis,  
Dùm sumis, quovis tempore clarus e-  
ris.

Perge. Brevi *Musa* lauru tua tempora cingent.  
Applaudam; Profint dona. Sequetur honos.

Hæc paucula Pereximio Dn. Respondenti  
suo sine officii amico apponebat

PRÆSES.

---

**S**itne supra cælum *Torrens*, disquiris *Amice*,  
Quosdam sectando, non, ais, invenio,  
Nil præter cælum Dominus terramq; creavit,  
Cur superet, dicis, *gutta* solum atq; *Polum*;  
Sic inter *coctos* fac pergas docta litando,  
Et surgent laudes mox super astra tibi.

Eximio Dn. Respondenti Amico  
suo dilecto paucula hæc de prope-  
rat gratul.

**M. Joh. Solms.**

Susat, Guestp.

EA

**E**st verè Juvenis, virtute inquirere honores,  
Et vitâ, & studiis tendere ad alta suis.

*Eilmav* sic audax virtute inquirito honores,  
Sic, inquam, Studiis tendito ad alta tuis.

Ut bene cœpisti, sic pergo fideliter artes  
Excolere, & studiis condecorare tuis.

Eruiis obscuros sophico splendore recessus,  
Num supra cœli tegmina stillet *aquæ?*

Præstat id assiduis tibi cura subacta diebus  
Pervigili, & noctis tempore rupta quies.

Ito audax, studium fortuna Deusq; juvabunt;  
Ex animo Dulcis grator *Amice* tibi.

Gratulabundus accla-  
mabat

**Melchior Hauchenbach/**  
SS. Theol. Stud.

